

- veritas atque iustitia, deinde sequatur misericordia. Quodque⁸⁹ sequitur: In portis vestris, illi prophetico congruit: Oderunt in portis corripientem et verbum sanctum abominati sunt. Et in alio loco: Non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta. David quoque iudicabat in portis, quando Absalon veritatem iudicii repromittens patri tendebat insidias. Et quaeritur, quare apud Iudaeos in portis locus fuerat iudicandi? Ne cogerentur agricolae intrare urbes et aliquod subire dispendium et ideo iudices in portis residebant, ut tam urbanos quam rusticos in exitu et introitu urbis audirent, et finito negotio unusquisque confestim ad sedes proprias reverteretur.*
- 160 *Qui⁹⁰ autem post regem populum regere debent, id est duces et comites, necesse est, ut tales instituantur, qui sine periculo eius, qui eos constituit, quos sub se habent, cum iustitia et aequitate gubernare intellegant atque cum bona voluntate, quod intellegunt, adimplere procurent, scientes se ad hoc positos esse, ut plebem salvent et regant, non ut dominantur et affligant neque ut popu-*
- 165 *lum dei suum aestiment aut ad suam gloriam illum sibi subici, quod pertinet ad tyrannidem et iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, quia rex aequissimo iudici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, ut etiam singuli, qui sub eo sunt ministri, diligentissime ab eo inquirantur et tales constituantur, ne ipse pro eis iudicium incurrat dominicum. De oppressione pauperum pro-*
- 170 *videndum est, quoniam in eorum afflictione deus offenditur, sicut psalmista dixit: Propter⁹¹ miseriam inopum, et reliqua. Affliguntur enim in aedificiis superfluis⁹² et in exactione hostili⁹³, quia, quamvis deus pacem pro sua misericordia tribuat, ab ipsis tamen hostilis census inquiritur, et si vinum pro peccatis nostris in vineis non creverit, eos solvere cogunt. Et cum do-*
- 175 *minus imperator quondam Karolus⁹⁴ ex ista causa misericordiae capitula constituit, inter ipsa posuit, ut⁹⁵ nemo ad mallum vel ad placitum cogere-*

⁸⁹) Ebd. (Z. 472–482).

⁹⁰) Synode v. Paris (829) II c. 3 (MGH Conc. 2/2 S. 654 Z. 8–17), Jonas v. Orléans, De institutione regia c. 5 (ed. Revillon S. 150f.), jeweils leicht gekürzt.

⁹¹) Ps. 11, 6.

⁹²) Vgl. Kapitular v. Pîtres (864) c. 27 (MGH Capit. 2 S. 321f.), dazu G. Weise, Staatliche Baufronden in fränkischer Zeit, Vierteljahrschrift für Sozial- und Wirtschaftsgeschichte 15 (1919/21) S. 347, Jäschke, Burgenbau S. 77 u. ö.

⁹³) Vgl. Hinkmar, Ad Ludovicum Balbum (877) c. 8: ... *miser iste populus, qui iam per plures annos deprædationes diversas et continuas et per exactiones ad Normannos repellendos affligitur* ... (Migne, PL 125 Sp. 987 D), Edictum Compendiense de tributo Normannico (MGH Capit. 2 S. 353f.), dazu Joranson, Danegeld S. 109f.

⁹⁴) Karl der Große.

⁹⁵) Bis Z. 192 *caelorum* nahezu gleichlautend auch Hinkmar, Ad episcopos c. 14–15 (Migne, PL 125 Sp. 1016 A–C).